34.7.C.23.


10

APOLLO PYTHIVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SEV

PVTREDO DEBELLATA.




DOMINICI PANAROLI

ROMANI.

PHILOSOPHI, ET MEDICI.

In Almæ Vrbis Gymnasio Simplicium Professoris.



Romæ, Apud Io: Baptistam Roblettum. 1648.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

Imprimatur. Si videbitur Riuerendiss. P. Mag. S. Ap. Pal.
A. Riualdus Vicesg.

Imprimatur,
P. Raymundus Capisuccus Soc. Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Ap. Ord. Præd.

DE mandato Reuerendiss. P. Mag. Sac. Apost. Pal. vidi Apollinem Pythium D. Dominici Panaroli, cumque multum vtilitatis saluti corporeæ, nihil damni saluti animæ, cum neque Fidei, neque bonis moribus quicquam contineat contrarium, afferre posse existimo, eaque de causa Typis committendum esse iudico. Hac die vltima Aprilis 1648.

Paulus Zacchias Medicus manu propria.

Digitized by Google

CELEBERRIMIS D.D.

SACRÆ CONSISTORIALIS

AVLÆ ADVOCATIS

Atque Almæ Vrbis Gimnasij

CVSTODIBVS VIGILANTISSIMIS.

R.R. P.P. D.D. Carolo Cartario Decano, Diomedi Varesio, Io: Baptistæ Spadæ, Petro Francisco de Rubeis, Iulio Cincio, Carolo Montecatino, Iosepho Hortentio de Rubeis Patris coadiutori, Marco Antonio Buratto, Carolo Gualterio, Bartholomæo Capræ, & Io: Mariæ Vermigliolo.

Dominicus Panarolus Romanus F.



NOBILIVS *metallum (quomodo præstantissimus Princeps retulit quondam mihi, dum aliquando aurum potabile à me fabrefactum examinabamus) à quibusdam, vt ex celsiorem formam acquirens in Panaceam conuertatur, densitate prius, & poderositate spoliatus mirifice amplissimum locum occupans, tanquam nubes pulcherrima super aquas sese extollit.*

Sic mihi optimi Mecoenates, dum oppressionem ab inuidis, & calumniantibus patiebar, dextram dedistis, cuius oper latissimum in Patrio Archigymnasio spatium acquirens, Cathedram ascendens, tanquam super aquas exaltatus incedo. Faueat Deus, vt, dum inter simplicia laboro, Panaceam quærens, vires animo respondeant.

Digitized by Google


Gratitudinis ergo (anno enim elapso, Rectore diligentissimo R.P.D. Carolo Gualterio, me omnes vnico consensu Lectoribus ascripsistis) Apollinem meum vobis dedico, vt facilius Pythonem confodiat. Auro me comparo, non propter excellentiam sed quia tanquam aurum in cineritio examinari cupio, si fabulas scribo. Neque etiam propter similitudinem, vt dixi, aurum me magnetico more trahit; recte enim memini Arnaldum Philosophum illum egregium doctrina prima, parabola tertia hæc posteris reliquisse: qui non vt sapiat, sed vt lucretur addiscit in facultate, quam eligit, efficitur abortiuus. Quandoquidem auri inexplebilis fames homines in belluas immutando, consanguineos, & quod peius est, ò nostrorum temporum calamitas! fratres quandoque in hostes conuertit. Libenti interim animo munusculum hoc recipite, dum vobis omnibus æque à Cœlo Cæsaris fortunam, Platonis Sapientiam, atque Alexandri deprecor Magnanimitatem Valete. Romæ die 15. Maij 1648.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. D.

PETRO OTTOBONO

ROTÆ AVDITORI S. D.



VM ad tantum huius opusculi splendorem accuratè oculos intendissem, quod suismet effusis doctrinæ radijs pene totum orbis ambitum vbertim illuxit,& nouam perscrutandi vitæ vtilitatem humanis mentibus non minimam insinuauit cupiditatem;operc prętium duxi hoc nouo typo in lucē prodire; vt adauctis in eo radicibus purius, vegetiusq; adolescat, & geminato doctrinæ splendore vbique terrarum inclarescat; & quemadmodum videmus Phœbum natiua luce exuberantem,iterato cursu,perniciq;volatū Leonis astrum rotantem.vberiores,clarioresq; faces eructare,& longiores cito tramite,nouaq; radiorū prole parere dies; ita hoc in geminatam lucem æditum.inoffenso pede per typum excurrens, clariores scientiæ radios emissurū perenniter auguror. Idem hoc quotidiano vsu in silice liquet,quę quo magis crebris tūditur ictibus,eo magis ex arcano ignitoq;vtero validiores,maioresq; promit fauillas; ita sane si hoc duplici torcularis gyro prematur,fęcundiora laudum lumina suppeditaturū arbitror. Equidem cui potius potui,quā tibi dicare munusculum:tuo enim munitum patrocinio tuisq;hospitatū, te sospite,manibus vti tuarum virtutum onusti plaustro,tui præclarissimi intellectus Rota exagitato;non dubito quin per omnes mundi plagas sit citius,velociusq; triūphali laude perre erraturum,certoq; mihi persuadeo tui nominis famam, excelsiq; animi magnitudinem Illustri omnium præconio vagatam, cælorum astra subituram. Hoc ergo licet exile fæcundo humanitatis tuæ sinu libentissime foue, meq; simul, diu incolumis tu, colas,ac serues, seruatus in æuum, omine Bono:Numine fausto,faxit Deus meq; voti compotē efficiat. Vale. Tui studiosissimus.

Io:Baptista Roblettus Romanus.

Digitized by Google

AMICE LECTOR.



MVLTIPLICI telo confoſſus Python occumbet: laniato toto corpore, ſauciuſque ex iteratis vulneribus fatum ſubibit; exinanito veneno, & laceratis viſceribus ira Apollinis, iuſta tamen, ceſſabit; tu interim, dum pugnando corruet, Pythio debellatori faue, qui ſeptem ſagittis armatus in arenam deſcendit.

APOL.

Digitized by Google

OLLO PYTHIVS, SEV PVTREDO DEBELLATA.

De Pythone iterum nascente, atque eius necessaria debellatione.

SAGITTA PRIMA.



RITVR en iterum Python, qui à Cinthyo confossus lucem reliquit. Principijs obstandum est, ne in immensum crescendo inanes labores omnes reddat. Opprimendum est, quidquid ad hominum perniciem infortunata procreat tellus; non opus habemus, vt Phœbus denuo arcum tractando serpentem interimat, sed ipsius ope, nempe Iatricis auxilijs, Pythonem, id est putredinem hoc anno Orientem, debellandam necessario existimamus.

Cum enim putredo, quæ nihil aliud est quam corruptio, & interitus, vitæ diametro opposita sit, vtique si viuendum est, est etiam necesse corruptionem omnem debellare; quodque via naturali longum post tempus actũ fuit, modo artificiali breuiori spatio exequemur: Nam qui sub priscis fabularum corticibus sensus veros eruere conati sunt, nihil aliud Pythonem fuisse asserũt, quam limum, & terræ corruptionem maximam post diluuium relictam, quæ paulatim à Solis radijs, tanquã à telis iteratis, oppugnata Pythia celebrandi in Apol-

linis

Digitized by Google

linis honorem præbuit occasionem, quod eti. ipsius met Ouidij carminibus, qui fabulam cec. Metamor. eleganter eiicitur, dum tubam Permesh. hoc modo egregie inflabat.

Cætera diuersis tellus animalia formis
Sponte sua peperit: postquam vetus humor ab igne
Percaluit Solis: cœnumque, vdeque, paludes
Intumuere æstu: fæcundaque semina rerum
Viuaci nutrita solo, ceu matris in aluò
Creuerunt; faciemque aliquam cepere morando.
Sic vbi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alueo,
Aetbereoque recens exarsit sydere limus:
Plurima cultores versis animalia glebis
Inueniunt, & in his quædammodo cœpta per ipsum
Nascendi spatium, quædam imperfecta, suisque
Trunca vident humeris; & eodem corpore sæpe
Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.
Quippe vbi temperiem sumpsere, humorq; calorq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cum sit ignis aquæ pugnax; vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fatibus apta est.
Ergo vbi diluuio tellus lutulenta recenti
Solibus æthereis, altoque recanduit æstu
Edidit innumeras species, partimque figuras;
Reddidit antiquas partim noua monstra creauit.
Illa quidem nollet; sed te quoque maxime Python
Tum genuit, populisque nouis incognite serpens
Terror eras tantum spatij de monte tenebras.
Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante nisi in Damis, Capreisque fugacibus vsus
Mille grauem telis exhausta pene pharetra

Perdi-

Digitized by Google

Perdidit effuso per vulnera nigra veneno,
Neue operis famam posset delere vetustas
Instituit sacros celebri certamine ludos.
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

Itaque dum Python oritur moriatur; putredo oppressa iacet, Pytho enim apud Græcos idem est, ac putrefactio: putredini namque obnoxia hominum corpora facile in populares, epidemicosque morbos incidere possunt, eoque magis, cum, vt infra explanabimus; quamplurimæ causæ concurrant, quæ corruptionem minantur. Prudentis est non solum transacta, & præsentia considerare, sed futura prospicere, sicut Hippocrates futuram pestem indicando Patriam ex tanta miseria eripuit. Vtinam vires nostræ ad hoc munus obeundum sufficientes essent.

Videtur pestis imminere. Si Deus qui terram, qui Cœlum, quique omnia nutu regit, calamitatem imminentem auertere non dignetur. Non hoc Aonia Lyra cano, non Thessalico carmine prædico; non ex tripode Apollineo interpres Phœbi futura vaticinor, sed rationibus Philosophicis præscia lingua euentura pando. Scit Roma, si Aestate elapsa anni 1647. inundationes Autumnales, & copiosas aquam hyemis, indicaui. Scit si penuriam prænoui, si Cerealium, & seminum aliorum suffocationem, & putrefactionem præuidens propalaui. Testes habeo Illustrissimos aliquos Dominos, si vera dixi. Homo sum non Angelus, errare possum; vtinam contrarium eueniret; sed dum quamplurimæ causæ concurrunt, de certitudine effecti coniuncturas multas habemus. Quamobrem totis viribus incumbendum est, vt lues forsan futura in ipso ortu oppugnetur, calamitas ventura

arceatur, idque hoc modo fiet, si nos ponderatis quamplurimis necessarijs, & ad profligandam hanc colonis arua, & viris oppida viduantem inuestigatis remedijs toto conatu vrgebimus apud Principem vel alios, vt debita administrentur. Hoc Patriæ discrimen, hoc denique proprium omnium vtile, & commodum, & propriæ vitæ reparatio maximopere hortantur. Excusationem non habebimus, si hæc, quæ singula metit sanguinea falce, & singula transuerberat stygijs iaculis negligenter oriatur, & profundis radicibus sese in auras extollat. Tunc prostrato hoste, Pythone superato, peste debellata non falso Apollini victori, sed vero Deo reparatori sacra canamus, & Pœan idest hymnos de ipsius clementia canendo celebrabimus. Ad arma igitur: inane esset canere triumphum ante victoriam.

DE THEMATE COELESTE
Præsentis anni, eiusque prognostico.

SAGITTA SECVNDA.

VRania inter Musas sublimior hoc sibi negotium vendicat, quandoquidem dum pennis tranat aera, & volatu ingreditur Aether, Stellas examinans, e Cœlo postea descendens hæc profert.

Primo quod, Saturnus inter pleiadas, & hyadas constitutus occidat, sito etiam in Occidente capite Algol siue Medusæ capite quæ Stella, vt Astrologorū neotericus asserit quispiam Asiam, & Græciam iam percussit, modo verticaliter supra Regnum Neapolitanum & Calabros excurrit. Secundo, quod Mars dominus ascendentis est in fouea, & Dominus medij Cœli sub radijs. Tertia quod cauda draconis in secunda

Digitized by Google

116

cunda Cerealium iacturam portendit. Quarto quod Iuppiter in medio Cœlo est in suo detrimento, & retrogradus: quanquam retrogradatio ex se ipsa mala non sit, vt aliqui censent, sed potius augeat benignitatem, aut malitiam secundum naturam Stellarum, radius enim planetæ validior est, & maior ob ipsum planetam terræ propinquum, immo nullum habet retrogradũ modum Planeta, nam semper directus incedit rotando circa Solem excepta Luna; sed quia nostri oculi falluntur in ipsius visione, ideo retrogradum appellamus Quinto, quod etiamsi Draconis caput siue nodus boreus reperiatur in octaua, tamen Mercurius octauæ dominus est sub radijs. Sexto quod Luna primum aspectum celebrando (quæ Populum significat) cadit in quadratum Saturni, quæ omnia recte considerata infaustum annum portendunt. Duo tamen dictarum calamitatum ostendere possent mitigationem scilicet,

Primo Sol in quinta, qui propter loci benignitatem maleficorũ iram cohibet, dum Sol ipse dominus anni, & Almuthen dignitatibus veteros superat, & vincit planetas, Almuthen enim Arabum vox est, quę victorē significat, atque ab ipso multa necessaria eliciuntur cũ sit dominus anni, & tanquam gubernator in naui. Idcirco cum Saturnus quindecim possideat dignitates, Iuppiter decem, & octo, Mars duodecim, Venus tres, Mercurius septem, Luna tres, Sol vero viginti, iure merito Apollo siue Sol vincit; faueat Deus, vt Pythone interempto referat victoriã, confert etiã adhoc, quod Sol est dominus horæ, & Iupiter dominus diei, & loci oppositionis luminarium proximæ transactæ dominator.

Secundo, quod, etsi Luna incidit, vt diximus, primo schemate in tetragonum Saturni, tamen est illa tẽpore

Digitized by Google

nocturno coniuncta Veneri, quæ motum domum recipit cum Saturno. Hæ mutuæ receptiones tantæ sunt efficaciæ, vt Astrologi omnes, & præsertim Aegyptij maximam illis vim tribuerint. Natiuitas Platonis pessima esset alioquin cum sit Mars in Oriente, in opposito Iouis, assumente Mercurio naturam ipsius Martis, qui planetae inimico idest Veneri coniungitur, & Sol sit in quadrato Lunae, Luna autem in quadrato Saturni. Sed quia adfuirt duæ mutuæ receptiones domorum, scilicet Saturni, & Veneris, Solis, & Iouis, ideo malefici inermes fuerunt, cum Plato diuinum ingenium, fælicitatem immensam & clari nominis immortalitatem habuerit.

Sed ò musarum excelsior Vrania, quæ à Cælo nomen habes sat habemus, sat astrorum prædictionem te mediante colligimus, sat Cœlum aspeximus, descende modo, & terrena videbimus.

DE CEREALIVM INOPIA.

SAGITTA TERTIA.

Dira lues ira Dei in homines immissa his semper associatur, & ex his fere semper genitur, aut corrupto Cœli tractu ex minis Aethereis, siue maleficorum planetarum validis aspectibus orto, aut inopia frugum, messiumque iactura, aut aquarum inundationibus, & terræ maxima colluuione, aut belli rabie furente, maximoque Martialium tumultu, dum mors omnibus æqua, nemini parcens singulos in fata trahens immatura falce triumphat.

Ex

Ex his enim maxime venenum in aere aut genitum aut diffusum, & directo humanæ naturæ contrarium populos miserrime interficit,

Vltio diuina septem flagellis mortales verberat; atque ita iteratis ictibus hominum peccata castigat.

Primo siccitatibus, incendijs, & conflagrationibus.

Secundo terræmotibus, ipsiusque secundum diuersa loca maxima concussione, in qua, & maria exsiccantur, & noui fontes oriuntur, & ciuitates aut terra, aut aqua obruuntur, & similia generantur.

Tertio inundationibus, aut particularibus, aut vniuersalibus.

Quarto diuersorum generũ animalibus, aut ad perniciem frugum, aut ad aeris inquinamenta creatis.

Quinto bello, & minacibus armis, dum poteates, & magni prompti ad arma terribili sonitu ad pugnandum descendunt.

Sexto peste, aerisque corruptione aut desuper orta, aut inferius ex corruptione aliqua pullulante.

Septimo tandem, & vltimo alimentorum frugum, & Cerealium caritate.

Cum hoc anno præsertim quamplurima ex supradictis conglobata sint summopere timeo. Sed fauente Deo omne malum fugabimus, si quæ necessaria sunt administrabimus. De inopia igitur præsente, aliqua dicenda sunt.

Nemini dubium est similia ex similibus conseruari, cum igitur deficiente frumento, & crudeli edendi rabie vndique exagitari homines, ex tritico corrupto, putridis alimentis, atque indiscriminatim ex multiplicium herbarum radicibus cibaria captent; nemini dubium est, si putridis

ortis

Digitized by Google

ortis humoribus in grauissimos morbos incidere necessarium sit.

Experientia hoc pluries probauit, & plenæ autorum sunt paginæ quorum sententias selectiores aliquas hic transferemus.

Hic non optimi, vel praui frumenti notas recensebimus, cum à Medicis, Philosophisque omnibus facillime dignoscantur, sed satis fecisse putabimus, si quidquid erit necessarium ad tantam calamitatem arcendam indicabimus, & primo herbæ, radices, aut quicquid aliud sit in defectu Frumenti in cibis administratum sicuti legumina &c. prauum generant sanguinem, & debile reddunt corpus Galen. in comm. Hippocratis de nat. hum. t. 3. hæc scripsit. Quando ex fame in Aheno leguminibus vescentes crura imbecilla habuere, qui vero eruo, illis genua dolebant.

Hic videmus, si legumina, quæ communiter in mensis popularibus apparent, imbecillitatem afferunt, quãto maius damnum, à diuersis herbis, & radicibus sæpe incognitis, & humanæ naturæ noxijs timendum est, atque hic Galeni locus quoad herbas variorum generum depastas sufficiat, cum non mea intentio, neque meus sit scopus longam Autorum seriem ponere, sed tantum veritatem inquirere.

Triticum vero legumina, & quidquid sit, quod vrgente fame, & stimulante necessitate comeditur, quod alioquin relinqueretur, hoc opus, hic labor est, cum aut vetustate, aut male repositum, & corruptum triticum humanæ naturæ maxime aduersetur, præcipue hoc anno; nam Aestate elapsa cum maxima fuerit Aquarũ copia, atque Hyeme propemodum diluuium ex necessitate maxima Cerealium quantitas semiputrida, & cor-

corrupta erit: Frumentum enim vbi humiditatem contraxerit acescit, quo facto prauum, & fere venenosum existit. Galenus loquendo de cibarijs cap 3. de different. feb. sic loquitur. Natura quidem optima sunt, at ob quosdam putrefactionis modos æquales prædictis, aut maius aliquanto vitium contraxerunt, veluti frumentum, hordea, atque omnes aliæ fruges, quæ ad vsum cibi assumuntur, quarum nonnullæ temporis longitudine ad putrescibilem ducuntur dispositionem, aliæ quoniam male repositæ fuerunt; subiungit etiam, quod quædam in primo ortu rubigine deprauantur. Quidquid oriatur postmodum ex huiusmodi cibariorum esu in eodem loco profert Galenus. Tales cibos hodie quoque vrgente fame plures coacti comedere, nonnulli quidem à putridis, ac pestiferis febribus interierunt; nonnulli autem pustulas instar scabiei, ac lepræ in corpore contraxerunt. Clarum est & luce meridiana clarius, quod frumentum vitiatum, & aliquo modo corruptum pestem affert. Longum esset singulos, qui de hoc scripserunt enumerare, tamen inter hos videat qui velit Capiuacceum, Massariā, Senertum, Vidum Vidium, Mercurialem, & alios. In Germania, vt optime expertus sum, ex magna fructuū, & pomorum deuoratione pestis oritur, quæ etsi mitior, tamen & frequentior est, eoque magis quoniam poma ad debitam maturationem ob climatis frigiditatem non perducta putridos humores gignunt, statimque pestis oritur: vnde colligimus quod cibaria, quando debitam temperiem non habuerunt, damnosa sunt, corruptio enim optimi pessima; hinc illud adagium. Omnis corruptio mala, panis autem pessima.

D.E

Digitized by Google

DE INVNDATIONIBVS Fluuiorum, & Aquarum multiplici copia.

SAGITTA QVARTA.

NE quis in titulo præsentis capitis aliquid frustra à nobis positum fuisse arbitretur illud perpendat, scilicet aliud esse inundationes fluuiorum, quæ diuersimode oriuntur, aliud esse aquarum multiplicem copiam: quippe fieri potest, vt aquarum copia maxima appareat, absque eo, quod inundationes oriantur, & è conuerso inundationes aliquando consurgunt absque multiplici aquarum copia, nempe ex velocitate pluuiæ, & angustia receptaculorum, aut ex niuium liquefactione. Diximus hoc, cum habuerimus vtrũque, ex quo oritur, quod cum Sol per signa Septentrionalia ascendat, & radijs suis ingentes aquarum copias subtiliare nequeat, calore contracto vapores in aere, atque aqua extra terram, & in terræ visceribus putrescant, quæ dum ad vitæ necessitatem aerem alteratum respiramus, morborum seminarium in corporibus nostris relinquunt, vnde postea dum Sol æthe-rei Leonis terga comburet, ex quacumque, vel leui causa semen relictum in maximam hominum perniciẽ germinabit. Diximus etiam hoc, quoniam alimenta omnia, atque etiam pisces multiplici aquarũ frequentia diluta semiputridos ingesta humores procreant, & vt verum fatear, si quis alta mente perpenderit, & diligenti inuestigatione cibaria præsentis anni examinabit fere omnia insuauia, & insipida reperiet.

Tantæ efficaciæ sunt inundationes, & mortalibus contrariæ, vt facili negotio credam tellurem diluuio vniuersali sauciatam vegetabilia omnia putrida quali-

tate

Digitized by Google

tate infecta reliquisse, & vaporibus, atque exhalationibus infectione quadam singula tetigisse; quare necessarium fuit vitæ longitudinem à supremo opifice intra angustiores terminos positam fuisse. Homo enim in terrestri Paradiso si non peccasset, quamuis ex elemẽtis componebatur, tamen vita eius prorogabatur, tũ ligni vitæ beneficio, tum quia terra nondum maledicta erat, & per consequens nulla putredine infecta.

Blundus à Leoniceno adductus loquendo de inundatione volumine octauo primæ decadis hæc profert. Imbribus namque multos dies continuantibus diluuiũ fore apparuit. Tybris tunc mense Octobris prope exacto adeo aquis intumuit, vt Romæ mœnia alicubi superauerit, vnde regiones Vrbis fluuio proximæ maxima acceperunt incommoda.

Per Italiam verò vbique latuerunt campi, & ex montibus, collibusue omnis mota aratro gleba in cœnum liquefacta simul cum aquis in ima est delapsa, vt fluminibus postmodũ intra ripas coactis campi aqua destituti limo nihilominus manserint obtecti, & sata, quæ nunc primas iecerant radices putrefacta sint, nec eo Autumno, obbinente omnia luto, aliud semen terræ potuerit mandari, vnde fames maxima breui est secuta. Sed non solum famem ea attulit aquarum inundatio, verum etiam aera, sicut, & terram corrumpens, pestilentiam oriri fecit adeo ingentem, vt maximam populorum partem vbique per Italiam absumpserit.

Hæc illæ, Nicolaus postea Leonicenus in libello de morbo Gallico hæc subdit. Sed non longo post temporum interuallo Bonifacio IV. Romæ Pontificatum gerente, vti scribit Platina in Libro de vitis

Pontificum fame peste, & inundatione, quoque est laboratum: Adeo fere semper inundationis comes est fames, ac pestilentia, vt non temere prisci crediderint immodicas fluuiorum excrescentias non solum ad præsens inferre damna, sed alia insuper mala tutura portendere; subd i postea, quod vltra prædicta damna aliud incommodum secum attulit, scilicet terræmotus, quos, vt Aristoteles docet in Libro qui Metheora inscribitur multitudines imbrium non minus quam siccitates solent generare; quœdam præterea scabies, quę, vt scribit idem Platina ita tendebat ad elephantiam, vt deformitate cognosci homines non possent. Nonne magnam horum malorum partem, imo vero omnia in varijs Italiæ locis nostra hac ætate persensimus? Aquarum diluuia, vt diximus annonæ vbique caritatem, in quibusdam Ciuitatibus pestilentiam, ac præterea terræmotus: quorum nullam aliam ob causam nisi nimiã aquarum exuberantiam possumus assignare, cum hi maxime illis contigerint Ciuitatibus, quæ sub Cœlo sunt humidiore. Ex istis Leoniceni verbis, quid sperandum sit, quilibet in Philosophia, vel leuissime versatus facile colligere potest.

Opusculum hoc non timoris causa, neque ad terrendam Vrbem, aut Italiam scribo, sed vt visis pręsentibus infortunijs opportuna administrentur. Ad hoc laboro: pro salute vniuersali somnos incompletos relinquo, nec pleno ventre ad satietatẽ dormio, quomodo est in vsu; nam stultũ est expectare sagittã, qnando iam iam præcipiti motu sanguinis cupida aerẽ secat. Quę acciderũt accidere possunt, vt quidã aiebat; ideo nulla melior inuenitur regula ad prognostica conficienda, quã tẽpora transacta diligenter cõsiderare, atque historias reuoluere.

DE

DE BELLI INCOMMODIS.

SAGITTA QVINTA.

SIc Deus cœpta benefice secundet, sic numine clementi proposito faueat, nostrisque laboribus propitius adsit, quomodo bellum etiam lethalibus incommodis vas implet funestum Pandoræ. Vas funestum imo funestissimum, quandoquidem dum Populi fero Marte lacessiti ad pugnam ruunt multiplex miseria oritur; sed præcipue labes. Hinc quamplurimi dixere bellum; duas alias sorores secum trahere, nẽpe famem & pestem; Famem scilicet, arua enim, dum colonus vomere relicto arma capit inculta rubos, & spinas omine infausto producunt; pestem quoque quotidie enim quamplurimis angustijs, & miserijs labefactata militum corpora humores semiputridos generant, quæ in acie interfecta dum putrefiunt aerem fœdis vaporibus cõtaminant, qui postea ab hominibus inspiratus pestem inducit. Nec obstat, quod aliqui asserunt, nimirum pestem nullomodo oriri, ex fœtoribus prauisque odoribus, quoniam si hoc esset sœpius hac de causa pestis oriretur cum cõtrarium sit. Nam aliud est odor prauus ex aliquo cadauere eleuatus, aliud est putrida, & fętẽs exalatio ex militum cadaueribus orta. Milites, enim cum duriter cubent, parum, atque interrupte dormiant; quæcumque cibaria comedant, frigore, & æstu vexati, ira, timore, varijsque passionibus exagitentur, semiputridos in corporibus gignũt humores, & sanguis venenosam, & venenatam quamdam naturam acquirit: quare dum Mars vndique furit, & Bellona minacem quatit hastam, si plures ferro confossi milites insepulti putrescant, inde tam virulenta aura exoritur,

Digitized by Google

quæ pestem procreat. In alijs autem cadaueribus hoc non oritur, tum quia non sunt sic disposita ad putrescibilem naturam, tum quia non sunt in magno numero.

Cadauera puerorum variolis mortuorum quodammodo contagiosa, & pestilentia sunt, & si magnus eorum numerus insepultus reperiretur pestem germinaret, talem enim exhalationem emittunt, vt homines interficiant. Expertus sum ego hic Romæ, & de hoc scripsi in Aerologia, sed præcipue in Iatrologismis; obs. 18. his verbis.

Cum in Ecclesia D. Francisci de Paulæ in Exquilino monte prope S. Petrum ad vincula magnus puerorum variolis mortuorum numerus sepultus fuisset, aer ibi conclusus breuissimo temporis spatio, ita pestilens euasit, vt, dum pueri sepelliendi causa in tumbam descenderet vespillo repente mortuus ceciderit. Quem non redeuntem Pater illorum quidam videns curiositate impulsus scalæ aliquot gradus descendit, sed cum circa medium ipsius scalæ fuisset ita venenoso ab aere oppressus fuit, vt quasi mortuus caderet. Sed meliori quo potuit modo aliorum auxilium implorans ad os ipsius tumbæ non sine magna difficultate ascendit, maximo cum vitæ suæ discrimine Quod cum vidisset vespillonis amicus quidam temerarie descendens in sepulcrum diem suum clausit extremum: ex quo mirifice patet ex cadaueribus pestem oriri, sicuti si quis historias legerit sæpius pestem post bella inueniet. Quapropter optime sentiunt ij, qui post maximam cladem corpora in cineres resoluunt, ne pestilentem halitum eructantia pestem afferant; ignis enim pestis, & venenorum est domitor. Bella pestem procreant, quæ quam-

quamuis vlterius non progrediantur, & pax Iani templum claudat, tamen semper aliqua reliquuntur virulenta semina in terra, & aere, quæ processu temporis pullulant.

DE REMEDIIS INTERNIS.

SAGITTA SEXTA.

FAtuum est calamitates connumerare, atque hac de causa timor magnus oriretur, si de remedijs ad illas profligandas non loqueremur. Quibus fauente Deo Pythonem siue putredinem debellatam videbimus: ita etiam crudele esset, & prorsus inhumanum dum possumus ad miserias arcendas remedia connumerare, & non fecerimus. At non possumus remedia proponere, nisi cognitare, & circunstantijs; ideo dum in præcedentibus necessarium fuit singula indicare, modo ad fugandam hanc luem antequam germinet alexiteria, & aliqua necessaria patefacimus: quæ duplicis sunt generis, interna scilicet, & externa. De externis in sequenti sagitta, de internis autem modo tractabimus. Interna vero hoc in loco intelligo omnia, quæ intra corpus sunt, & intro sumuntur, pharmaca, cibaria, & humores; Externa vero ea, quæ ab extrinseco videlicet extra corpus circuunt, & apponuntur. De internis igitur cibaria optima, & boni succi propono loquens, atque inter hæc oua recentia, quæ non solum perfectum generant sanguinem, sed viscera principalia mirifice corroborant cerebrum, cor, hepar; aquarum potum, & præsertim cum niue damnamus.

Crudi-

Digitized by Google

Cruditates aduertendum eſt ne oriantur, & profundas iaciant radices, peſsimæ enim ſunt: ignauia fugienda otiumque tanquam cruditatum fundamentum. Animi motus nimij penitus abhorrendi. Omne denique nimium, ſomnus, Venus, aut largior, aut immodica, ſicuti naturæ inimicum prorſus deteſtandum. Purgationes neceſſarias exiſtimo, quæ pro variarum naturarum complexione Medici prudentiæ committuntur, quibus tranſactis ad ſpiritus & ſales tum vegetabilium, tū mineralium confugere optimum puto, atque illis loco ſalis communis in cibarijs vti, inter quos præcipue cōmendo ſal Rutæ caprariæ, Scordij, Chamedrios, Saxifragiæ, ſed ſuper omnia mali Citri, venenis enim, & peſtilentibus morbis mirifice aduerſatur. Spiritus ſalis, atq. ſpiritus Vitrioli egregij ſunt. Salutare etiam erit vti oleo Vitrioli, & Tartaro vitriolato, hæc enim cum facillime penetrēt, & humores putreſcibiles, & noxios diſſoluant vtique hoc anno ſaluberrima exiſtimo. Sed aduertendum eſt aliqua corpora ſalſuginea, & nitroſa viſcera poſsidere, quæ hac de cauſa pallida ſunt, macilenta, excarnia, & parum dormiunt; in his igitur corporibus ſales, & ſpiritus indebitos reputo, quin potius refrigerantibus, & humectantibus vtendum erit. Singula examino, ſic me Deus adiuuet, quomodo ſemper virtutis, non autem auri amans fui; ſed idem eſt, ac ſi dicerem, quod ſim amans belli cōtra me ipſum; potius dicere deberem, veros eſſe amantes eos, qui arcas milliarijs aureorum implent, neque publice aliquem lædunt, non autem eum, qui proprium æs conſumit, neque aliquod quærit lucrum, ſed ſolum vitam, & facultates, etiamſi paucas exponit pro ſalute vniuerſali, quoniam tandem odijs, inimicitijs, & perſecutionibus

reple-

repletus reperitur: veritas enim apud multos odium parit, & hæc pro nobilibus. Pro plebeis vero pulueres Scordij, aut Chamedr. aut Rutę caprariç mane sumptos dimidiæ drachmæ pondere vtilissimo potu, sicuti etiã aquam theriacalem, & theriacam grani vnius pondere quotidie deuoratam. Allium etiam mane ieiuno corpore manducatum optimum est, sed non caput integrum nimium enim esset, & offenderet: frustulum siue partem vnam quam vulgo (spicchio) vocant vtiliter sumere poterimus. Tabacchi vsus perniciosissimus erit, & sane magnopere admiror tantam esse consuetudinis efficaciam, vt herba venenosa sicuti est ista. Hiosciamum enim est indum, & alienationem mentis infert, sicuti Balsamum quodam tam frequenti sit in vsu, nihil cogitantes, nihil examinantes cœcus cœcũ ducit & ambo in foueam cadunt. Tam lethale est: vt ex Tabacco tam pestilens extrahatur venenum, vt illico, vel leui acu, hoc veneno delibuta punctus bos statim corruat, & si viscera aperiantur dilaniata, & corrupta reperiuntur, cui veneno nullum alexipharmacum reperitur vno excepto lapide Bezäar, qui mirifice, prodest, & patientes sanat. Audiant, qui quotidie omni hora, omni tempore Tabacco vtuntur, quæ herba omnimode condemnari deberet. Sed quo ruis Dominice Panarole! caue ne tabaccariorum iram promoueas, quomodo balneatorum, qui (Stufaroli) appellantur, odium excitasti, vnde postea necesse tibi fuit iustitiæ brachio tela retorquere, atque innocentiã tuam patefacere, nam quamuis non animo nocendi, sed potius beneficandi balnea, siue Stufas, opusculum tuo nomine Græce scripto (scilicet Despotico Calathino) patefacere voluisti, tamen exemplo transacto motus

caueo:

Digitized by Google

caue: Veritas enim, vt dixi, odium parit. Sed quid ad me: dummodo veritatem ſcribo in Deo confidens nihil timeo. Si Tabaccum eſt damnoſum, ſi Stufæ ſunt malæ, laudare non debeo, ſed pro ſalute omnium nocumenta indicare. Vbi eſt veritas ibi eſt Deus. Deus me tuebitur. Sed antequam hanc ſagittam compleam illud huic noſtro negotio neceſſarium puto, ſcilicet, quod olera hoc anno ob nimiam aquarum copiam ingeſta noxios generant humores, ita etiam Piſces, & Carnes potius per aſſationem, quam per elixationem coquantur, meliora enim erunt.

DE REMEDIIS EXTERNIS.

SAGITTA VLTIMA.

HActenus de ijs, quæ intro, aut naſcuntur, aut ſumuntur, nunc de externis loquendum erit, atque primo de domicilio, quod in excelſiori loco eſſe debet, atque hac de cauſa vtile eſſet Aeſtate proxima ad rura in montibus poſita migrare. Montes enim non omnibus annis pro ſalute boni ſunt imo ſœpe cõtrarij, vt aliquando etiam in memetipſo expertus ſum, dum eſſem in Vico Varonis, qui vulgo Vicouaro appellatur, maxima enim eo anno mortalitas per loca illi propinqua, atque excelſiora orta eſt; in Tybure quoque quamplurimi perierunt, cum tamen Romæ perfecta fruerentur homines ſalute, in cuius inueſtigatione fere per vndecim annos attonitus fui: nullam enim inueniebam cauſam, donec in Bibliotheca Excellentiſſimi Domini Sebaſtiani Ciuccij SANCTISSIMI Domini Noſtri INNOCENTII PAPAE X. quem DEVS

foueat,

Digitized by Google

foueat, & conferuet, Fiscalis Generalis dubij solutionem reperij. Summopere amans vir iste & Zelotypus salutis vniuersalis, cum simplicium lectore Archigymnasium Romanum viduum reperiretur, ex hac necessitate grauamen sentiebat, cum vixisset Medicinalis professio ab anno 1635. ad annum 1647. sine duce, cum sit hoc sanitatis nostræ fundamentum, possunt enim facile errores committi, sicuti egomet vidi in medicamentis, vbi vna herba pro alia posita erat; ideo non solum in hoc se exercuit, quinimò summopere gaudebat dum de simplicibus, & Medicina loquebar, offerens interim mihi si quid in sua Bibliotheca pro me conueniens reperiretur; Non enim solum legales, sed diuersi generis libros possidet. Accidit forte vt legerem Platonem in Thymeo: & nubila mens serenitatem inuenit! Hæc sunt verba ſum sacerdotem quemdam cum Solone loquentem inducit. O Solo Solo. Græci pueri semper estis, nec quisquam ò Græcia senex. Cur istud diceret percontante Solone respondisse sacerdotem, quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo vobis contingit, quia multa, & varia hominum exitia fuerunt, eruntq. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus prouenire necesse est; Minora vero alijs quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud vos fertur Phætontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione seruata exussisse terrena, ipsumque flammis cœlestibus conflagrasse, quamuis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporum interuallo Cœlestis circuitus

D per-

permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. Tunc hi qui edita, & arida incolunt loca magis pereunt, quam Mari, Fluuijsque vicini. Nobis porro Nilus, cum in plerisque rebus salutis est, cum huiusmodi à nobis arcet exitium. Quando vero Dij aquarum colluuione terræ sordas diluunt, pastores ouium, atque Bubulci, qui iuga montium habitant periculum illud euadunt. Hæc Plato: ingenio suo colligat lector. Itaque iuga montium optima erunt: quæque salubertimis sint perflata ventis sicut Zephyro. Notus tum quia natura noxius est & humidus tum quia putredinis comes præcipue hoc anno pessimus erit, sicuti maxime noxius erit & Eurus à Nautis Siroccos nuncupatus propter propriam malitiam sicuti etiam propter exhalationes paludum Pontinarum, quas ad nos defert,. Sed quoniam de Pontinis paludibus sermo est, meam sententiam proferam. Intelligebam mensibus elapsis quod, quam primum deberent exiccari; quando hoc esset de aliquo dubitarem. Hoc enim anno vbi aer ex frequentibus exhalationibus inundationum causa pollutus existit, maiorem noxam reciperet si exficcarentur; exemplum dabo. Si puteus per multum temporis immotus manet, & aqua corrumpitur, dum postea mouetur, atque siccatur, fœtido, & virulento odore totam viciniam lœdit, quam prius non lœdebat: quid sperare possumus in paludibus istis, vbi aqua fœculentiam habet ingentem, fundusque putredini innumerabili profundoque limo, & cœno repletus est, eoque magis quoniam nauigationem nullam admittit, neque motum habet. Ideo hoc anno pessimum putarem si mouerentur, aer enim coinquinatus alias ob causas putridissimus

euade-

euaderet. Poterit postea fieri alijs annis meliori tempore, cum aer sine virulentia erit.

Vapores sunt copiosi, & plurimis sicuti optime 24. Aprilis die Veneris supra Montem Marium vidi, vt portentosum sit enarrare, cum Sol prius sanguineus propter densitatem vaporum videbatur, & postea occultatus absque nubibus occidit. Qua de causa necessarium esset Romæ in plateis maioribus, & extra Romam prope domos in vineis, & agris noctu ignes accendere, non ex qualibet materia sed ex lignis odoratis sicuti sunt Cupressus, Rosmarinus, Pinus, Laurus, Iuniperus, & similes; tum quia odore aerem repurgant, tum quia caliditate, & motu exhalationes subtiliant, & resoluunt, vnde postmodum Sol Oriens facillimo negotio radijs suis aerem purum reddet, quod difficillime poterit alioquin, cum vapores & exhalationes non condensatæ Orienti Soli maximopere resistant, vt potius corrumpantur. Voces etiam, & nolarum sonitus atque bombardarum fragor optimi sunt. Aliquando aer ita est densus, vt si homines non exirent ad frangendum illum suffocans euaderet. Ignibus Hippocrates Græciam à peste liberauit. Odoramenta omnia optima erunt, sed quæ caput non offendant. Balnea fugienda sunt, cum humiditates, & corruptiones procreent. Sat enim istarum habemus. Quamplurima possent dici. sed quia breuitas cogit, plenæque Medicorum sunt paginæ ideo finem impono. Quamuis spinis vias mihi repleant illi, quibus calamus meus pro speculo est, qui nollent: tamen nunquam calamum

relin-

Digitized by Google

relinquam ; scribam tam recte rectum, quam malum. Confidens omnia in Deo, atque bonis spiritibus, qui ab eo audiri possunt, quod miraculose liberare nos velit à tali periculo scilicet à Pythone iterum nascente. Dormi Ius, sero enim, vel cito tandem à Cœlo tibi fiet.



Digitized by Google